Q. D. B. V.

OBSERVATIO CHIRVRGICA
DE

BVBONOCELE BIPARTITA, INCARCERATA, KELOTOMIA FELICITER CVRATA,



QVAM
CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
PRO SVMMIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS
OBTINENDIS
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTIT

AVCTOR
IOHANNES BECK,
MAGNI DVCIS TOTIVS ROSSIAE CHIRVRGVS PRIMARIVS
ET CONSILIARIVS STATVS, ACADEMIAE CAESAREAE
NATVRAE CVRIOSORVM COLLEGA.



D. X MENSIS AVGVSTI CIↃIↃCCLXXXI.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.



PRAELOQVIVM.



Negari vix ac ne vix quidem poteſt, Chirurgiam, artem hanc humano generi ſalutarem valde, et in conſeruatione eius unice occupatam, in magnum omnino hodie faſtigium perfectionis eleuatam eſſe. Euidenter namque admodum apparet, eam non amplius, poſt-


quam, ut meruit, denuo rite excoli coepit, mechanico tantum opificii inſtar exercitio, vel vagis ratiocinationibus, ſed principiis certis ex Anatomia praeſertim et Phyſiologia depromtis, inniti et dummodo manus exercitata cum ſcientia ſufficienti in uno eodemque ſubiecto felici connubio coniungantur, permultos aegrotos, maximis quamuis et primo intuitu incurabilibus affectibus obnoxios, praeter ſpem fere priſtinae ſanitati reſtitui et ex orci quaſi faucibus eripi poſſe. Exultant hinc merito veri Aeſculapii filii gaudentque cum illis reliqui, quorum ſaluti tam efficaciter inſeruit. Inter rationes vero, quae felicitatem hanc, prae multis aliis artibus et ſcientiis Chirurgiae inuidendam, contulerunt, haud infima reputari debet, quod ſummi in arte viri, adminiculis requiſitis ad illam elaborandam ſufficienter inſtructi, non tantum in theoria firma ſtabilienda

omnes

omnes intenderint neruos, ſed, quod caput rei eſt, experientiae, tanquam iudici rerum optimo et ad eruenda naturae arcana maxime neceſſariae, autoritatem conciliarint debitam. Huius autem auxilio cauſſae, progreſſus, ſymptomata morborum externorum et appropriata cuique remedia pedetentim quaſi innotuerunt, et ratiocinatione ſana in conſortium vocata, cognitio hucusque manca in certitudinem fere, ſaltem quoad plurima, prouecta eſt. Inutile quidem et a propoſito noſtro alienum foret, aſſertionem hanc longiore deductione probare, dum cuilibet vel tantillum in re medica verſato nec minimum ſuper hac re dubium ſupereſſe poteſt. Obſeruationum nempe fidarum et memorabilium praeſtantia in aprico poſita et omnibus cordatioribus nil magis in voto eſt, quam ut caſus inſolentiores grauiores, praeprimis dum poſt ſummam adhibitam

curam, inopinato quaſi, felici ſucceſſu donantur, publici iuris fiant nec tenebris obliuionis demandentur, qui aliis in ſimilibus verſantibus circumſtantiis ad ſanitatem recuperandam conferre poſſint. Ex horum cenſu obſeruationem hanc, quam Tibi L. B. ſiſto, eſſe, nemo, ni fallor, inficias ibit, dummodo ad magnitudinem enormem duplicis huius herniae incarceratae, ad ſymptomata periculoſiſſima et reliqua obſtacula haud leuia toties mortem minitantia, qua par eſt, attentione reflexerit; hinc ſine ulterioribus ambagibus ad rem ipſam me accingam.

HI-



HISTORIA MORBI.



Iuuenis generoſus, annorum circiter viginti octo, habitus toroſi, et caeterum ſaniſſimi, temperamenti mere ſanguinei, cum alio fratre gemello laute educatus et poſt obitum parentum diuitum ſui quaſi iuris factus, variis, quae aetatem hanc inconſtantem plerumque concomitari ſolent, diſſipationibus indulgens, inprimis veneri nimium litans, ab ipſa demum infantia tumorem geſtauit in inguine dextro, paruum omnino, vix dolentem, et pro lubitu reponendum. Incommodum exinde proueniens, prout exigua ſubſtitit protuberantia haec, tam leuidenſe fuit, ut nec parentum, nec ipſius, dum iam adoleſceret, attentionem meruerit, usque quo paucis abhinc annis, una cum reliquo corpore obeſo immo pinguiſſimo facto, maiorem in modum increſcens, aegrotum, praeprimis ob difficultates in motione corporis enatas haud leues, inquietum quodammodo redderet. Monorchis vero natus fuit, altero nempe teſticulo, vitio naturae ſubinde occurrente, in abdomine abſcondito. De ſalute propria mi-

minus certe, quam decet, ſollicitus, malum, quod leuitate ſua impoſuit, adeo ſpreuit, ut vix antea, quam ſymptomata grauiora, dolor nimirum in hernia acutiſſimus in abdomine colicus, cum tenſione magna tumoris hernioſi totius quanti, vomitus et ſuppreſſio alui, quae incarcerationem ſaltem incipientem indigitabant, ſubito et maxima cum vehementia inſtarent, de praeſidiis, quibus a tanto periculo liberaretur, ſerio cogitaret. In hiſce nempe conſtitutus anguſtiis meam qualemcunque prima vice implorauit opem, initio menſis Aprilis, anni 1771. Cauſſam ſymptomatum, quo affligebatur vix contemnendorum mihi ſciſcitanti ultro monſtrabat herniam hanc, minorem quidem, quam breui poſtea facta fuit, inſignem vero iam dum, immo ex maioribus, quos unquam videre mihi contigit. In admirationem rapuit bifurcatio eius ſingularis; ex unica enim radice, ſiue communi tumore in inguine, duo proficiſcebantur crura, quorum unum more conſueto ſcrotum petebat, alterum vero in regione inguinis laterali et huic vicina anteriore ſuperiore parte femoris ſupra muſculum rectum cruris et reliquos ei adiacentes ſitum erat. Totus tumor hernioſus, tenſus omnino et tactui vix cedens tangebatur, quae tenſio in ramo ſcrotali maior, quam in crurali fuit.

Tra-

Tractationem cum manibus, quia dolores intenſi admodum erant, ferre vix potuit; hinc omni ſpe repoſitionis ſucceſſurae depoſita, ad ſubleuanda ſymptomata incarcerationis incipientis unice intentus, venam ei illico ſecui, ſanguineque liberalius, nempe ultra libram extracto, iam leuamen ſenſit notabile; attamen ſpatio nychthemeri adhuc bis repetenda erat venae ſectio. Semicupia, fomenta reſoluentia et anodyna ſupra regionem herniae applicata, clysmata emollientia et leniter irritantia ſaepiuscule iniecta, embrocatio abdominis emolliens, et demum temperantia varia interne haud interrupte exhibita ſuam quoque ſymbolam tanto cum ſucceſſu contulerunt, ut iam altera die non tantum aluus reſponderet, ſed etiam reliqua caterua malorum ſupra memoratorum ſenſim euaneſcente, aegrotus tertia die perfecte reſtitutus eſſet. Quia repoſitio ob magnitudinem extraordinariam herniae huius inueteratae et neglectae et alia obſtacula, de quibus poſtea in operatione ipſa certior factus ſum, quamuis in ea multum deſudauerim, nullo negotio perfici potuit, varia ei ſuaſi remedia prophylactica, praeſertim geſtationem ſuſpenſorii ad hoc negotium adaptati, vt et moderatius vitae genus. Admonitis meis per breue duntaxat tempus auſcultans, ab exceſſu men-

ſarum (guloſus nempe admodum fuit) et exercitiis variis, immo venere, quousque potuit, ſibi minime temperauit. Hinc factum, vt inſequente menſe Maii duas recidiuas praecedenti ſimillimas, breui interpoſito interuallo, pateretur, quae iisdem fere medelis tollebantur, hoc tamen diſcrimine, ut hernia ipſa nunc celerrima et maxima indies caperet incrementa. De periculo itaque, quod ipſi tam euidenter imminebat, monui unicumque recuperandae ſanitatis auxilium in Kelotomia poſitum eſſe declaraui. Inuitus quidem conſilio meo acquieuit; ob varia vero, quae praetulit, non remouenda, ut aſſeuerabat, impedimenta, operationi ipſi et neceſſariae poſtmodum per aliquot ſeptimanas in lecto morae, non niſi in initio menſis Auguſti ſeſe ſubiicere poſſe, affirmauit. Sors vero eius tantas, quas ſibi pro lubitu blandiebatur, inducias nequaquam conceſſit. Nam die duodecimo menſis Iunii, poſt exceſſiuam in prandio ingurgitationem ciborum, dum ſub veſperam cum ſociis deambularet, augmentum herniae, inprimis rami femoralis, maximum cum doloribus vehementiſſimis derepente animaduertit, ita ut vix domum ſe conferre poſſet. Accerſitus, circa incrementum tantum herniae tam breui tempore factum obſtupui; reliqua vero, quae con-

confeſtim ingruebant, ſymptomata incarcerationis, ancipitem omnino et de vita eius deſperantem me fere reddiderunt. Aderat nempe una cum colica grauiſſima, doloribus imprimis in hernia ipſa ſubſiſtentibus, febris acutiſſima, vomitus, tenſio abdominis et tumoris hernioſi cum rubore inflammatorio, et obſtructio alui pertinaciſſima, quae clyſmatibus, quamuis frequentibus et ſenſim fortioribus iniectis, nullo modo deuinci potuit. Venaeſectio eadem adhuc veſpera bis inſtituebatur, varia quoque topica, praeprimis fomenta reſoluentia adhibebantur, etiam ex aqua frigida, quae prae reliquis aliquale ſaltem ei ſolatium afferre videbantur, ſed omnia incaſſum. Altero itaque die, nempe XIII. menſis Iunii ſine fructu transacto, quamuis nihil intentatum reliquerim, omnibus in peius ruentibus, patiente quoque ipſo in maximis cruciatibus operationem efflagitante, illam in caſu hoc quamuis conclamato fere, poſtridie mane perficere decreui, dum anceps experiri remedium, quam aegrotum certiſſimae demandare morti, ſatius ducerem. Rogatis itaque in conſortium operationis, amiciſſimis mihi Dominis, Doctore Orraeo, Chirurgo primario Frees et Chirurgo Beckman, die XIV hora ſexta matutina aegrotum in ſtatu fere deſperabundo inuenimus, duobus iam nychthemeris inſomnibus transactis,

 ſym-

ſymptomatibus praedictis adauctis, pulſu vero iam debili quamuis frequentiſſimo, una cum ſingultu, debilitate et ſudoribus frigidis nil boni praeſagientibus. Interea quoniam hic, ſi usquam alibi, maximum e mora periculum metuebam, ad Kelotomiam ipſam, apparatu neceſſario iam rite confecto et diſpoſito, properaui et ſequenti modo eam inſtitui:

Aegroto ſupra lectum planiusculum ita collocato, ut puluinaribus craſſis ſubiectis, regio natium pedesque ipſi ſurſum eleuarentur, caput vero et pectus magis declinarent, pilis quoque e tota regione herniae abraſis, miniſtri aliquot ad firmandum patientem, ne loco moueretur, diſponebantur; inſtrumenta vero cum apparatu deligationis et reliqua, quorum uſus praeuideri potuit, a Chirurgis praedictis in promtu tenebantur. Quia, ut ſupra monui, hernia ipſa, quae in inguine ſimplex fuit, in duos diuiſa erat ramos, quorum unus ſcrotum, alter vero femur dextrum reſpiciebat, hinc etiam ſectio duplex inſtitui debuit. Primam inciſionem, eleuatis, quantum fieri potuit, ab adiutore transuerſim integumentis, in medio rami ſcrotalis, prouide, ne inteſtinum ſubiacens laederetur, feci eamque ſurſum verſus, ad latitudinem pollicis ſupra annulum, deorſum vero,

quo-

quousque tumor herniofus fe extendebat, iisdem praecautionibus adhibitis, fcalpello dilataui. Haemorrhagiam, quae ex plurimis arteriolis, praefertim ex una fat magna in cellulofitate inguinis, largior quam fperauerim, inftabat, folutione vitrioli de cypro, orificiis earum admota, compefcui. Tunc e parte fuperiori vulneris alteram incifionem fupra ramum femoralem eodem modo peregi. Plagarum harum amplitudo infignis omnino euafit; nam prima duas fere fpithamas, altera fefqui fpithamam longitudine aequabat. Sub integumentis in formam quafi litterae T incifis, ftatim in confpectum venit inuolucrum herniofum, quod, quantum fieri potuit, a cellulofitate illud ambiente, feparaui; dein laminis, ex quibus conftabat quam plurimis, alia poft aliam in regione infima rami fcrotalis, cautiffime fectis, tandem in cauitatem facci herniofi peruentum fuit, fero modico in illo contento cum impetu exfiliente. Apertura hac ad directionem vulnerum, quae in integumentis iam facta fuerunt, quantum debuit dilatata, quod cum apice fcalpelli fupra internam indicis dextri apicem pofiti, qua par eft, circumfpectione effeci, illico protuberauit portio ingens duplicata inteftini ilei iam valde rubefcentis ab inflammatione, itaque gangraenae quam proximi, a contentis vero fuis,

praeſertim aëre turgeſcentis et portione tenui omenti obducti. Contecto inteſtino, ne alterationem pateretur, linteis molliſſimis lacte tepido imbutis, ſeptum illud ligamentoſum validiſſimum, quod utrumque ſaccum diſtinxit, caute incidebatur; quo facto teſticulus alter verſus cauitatem rami femoralis protruſus, macilentus, exſuccus quaſi et albidus inueniebatur, funiculus vero ſpermaticus cum ſacco hernioſo concretus erat. Conuolutio maxima et quaſi globoſa omenti, quae protuberantiam illam orbicularem rami femoralis effecit, terrorem fere incuſſit, et quid cum illa faciendum, ancipitem quadantenus reddebat. Sanum certe adhuc apparuit viſcus hoc; attamen in cauitatem abdominis repoſitionem eius tentare, non modo difficile, ſed etiam noxium iudicaui, hinc non niſi de reponendo inteſtino cogitaui, quod ſumma cum difficultate tandem obtinui. Nam quamuis, quae a magnis Chirurgis laudari ſolent, encheireſes, praeſertim eductionem partis ano proximae et diſſipationem contentorum, quae turgeſcentiae cauſſam dederunt, in uſum traxerim, nullum tamen ob penitus coarctatum et quaſi obturatum annulum abdominis aliud conſilium ſupererat, quam dilatatio eius. Recondito itaque in extremitate indicis dextri apice ſcalpelli, inciſionem verſus line-

am

am albam ſat amplam feci, at repoſitio nondum ex voto ſucceſſit, hinc ex oppoſito latere, alteram eiusdem fere amplitudinis os ſacrum reſpicientem, inſtituere coactus ſum, qua facta, inteſtini prolapſi conuolutiones in cauitatem abdominis manu protrudere amplius neceſſe non fuit, nam ſponte intrabant. Portio illa ingens epiploi, cuius repoſitionem, vti ſupra dixi, ſi non plane impoſſibilem, minime vero utilem futuram praeuidi, ab adiutoribus ambabus manibus comprehenſa et ſurſum verſus eleuata, non procul ab annulo, acu magna, quae filo duplici robuſto inſtructa erat, in medio perforabatur ab utroque latere, filis vero antea ſeiunctis ad diſtantiam transuerſi ab annulo digiti, nodulo fortiſſimo conſtringebatur, totaque maſſa propendens ad latitudinem digiti a ligatura abſcindebatur. Truncus omenti compacti, quo loco ligabatur, craſſitiem quatuor digitorum excedebat, portio vero reſecta ultra quatuor libras ponderabat. Proceſſus peritonei et membranae ſpuriae ſaccum hernioſum conſtituentes, a celluloſitate circumiacente teſticulo et funiculo ſpermatico, cum quibus concreuerant, ſeparatae, quantum fieri potuit, auferebantur. His iam ex voto peractis, deligatio, utpote maximi momenti in operatione hac, ſequentibus cum cautelis

in-

inſtituta eſt. Vulnere toto quanto a cruore linteis carptis et ſpongiolo bene depurato, fruſtulum illud integumentorum communium, quod ramo herniae femorali incubuit et per inciſionem T formem figuram triangularem adeptum erat, iterum in locum priſtinum reponebatur; teſticulus una cum funiculo ſpermatico ſcrotum verſus blande protruſus linteo tenui oleo amygdalarum dulcium madido obtegebatur; filum duplicatum a ligatura omenti proueniens verſus extremitatem ſuperiorem vulneris colligabatur et ſupra regionem annuli ipſins, puluinar (*gateau* Gallice appellatum) a HENKELIO *T.* 2. *f.* 12. delineatum, imponebatur; reliquum vulnus, labiis eius appropinquatis, plumaceolis implebatur, mox emplaſtris et ſpleniis tam longitudinalibus quadruplicatis, quam aliis maioribus, praeſertim circa annulum et latera vulnerum impoſitis, totus apparatus deligationis faſcia, ſpica ſimplici denominata, firmabatur.

Operatione finita aegrotoque in ſitu fere eodem relicto, omnes in id intendi curas, ne ſymptomata, quae ſectiones eiusmodi grandiores inſequi ſolent, iuſto grauiora fierent, et nos ſucceſſu ſperato fruſtrarentur. Hinc ad vehementiam febris,

quae

quae inſtabat vulnerariae, reprimendam, et inflammationem partium vulneratarum, quae penitus auerti neutiquam potuit, ſaltem minuendam, varia ex lege artis praeſcripta fuerunt remedia antiphlogiſtica, quae tamen vix ac ne vix quidem impedire potuerunt, quo minus eodem die verſus veſperam febris accenderetur fortiſſima, et ſequentibus quatuor diebus, usque dum ſuppuratio laudabilis proueniret, nos de euentu dubios admodum teneret. Venaeſectio, quamuis ante operationem aliquoties celebrata et iactura ſanguinis tempore ſectionis haud parua fuerit, in corpore tamen robuſto et ſuccis pleno, iterum aliquoties repeti debuit, medicamentis quoque internis temperantibus minime neglectis. Ex uſu clysmatum emollientium et modice irritantium magnum experiebatur ſolamen aluumque cum euphoria deponebat, hinc frequentius iniiciebantur. Bolus ex rheo, ſale polychreſto et pulpa tamarindorum, bis de die exhibitus praeprimis conducere videbatur. Supra abdomen et regionem vulneris fomenta reſoluentia et emollientia cum pannis linteis aſſidue applicabantur; reliqua vero, quae diaetam reſpiciebant, uti in febre acutiſſima, ordinabantur. Tertia die humor rubicundus ſat copioſus per lintea ſtillare vulnusque odorem, qualis poſt amputationes

membrorum contingere ſolet, ſpirare coepit; interea apparatus deligationis, non niſi quinta die, dum ſigna ſuppurationis indubia ſeſe manifeſtauerint, remouebatur. Febris, quae huc usque non parum ſaeuiit, iam remiſſior facta, in decimum tamen usque diem perdurauit. Labia vulnerum, quamuis ſuppuratio laudabilis indies augmentum caperet, tumefacta et inflammata per plurimos dies cernebantur, usque dum ſenſim attenuata in ſtatum redigerentur naturalem. Aderat quoque notabilis in primis deligationibus foetor, qui a portione omenti ſub ligatura reſtitantis, et dum circulatio una cum vita interrumperetur, in corruptionem abeuntis, proueniebat. Suppuratione ſucceſſu temporis largiori, immo copioſiſſima facta, impediri vix potuit, tametſi deligatio iam bis de die inſtitueretur, quo minus magna pars puris per viam decliuem vulneris ſcrotum peteret, quod in corpore hoc robuſtiſſimo vaſtum omnino erat, ibique in tela celluloſa ampliori ſinus formaret. Quamuis quauis vice pus inibi collectum ſollicite exprimerem et ſpleniis faſciis, ſuſpenſorio, nec non puluinaribus paruis ſubiectis, ſequelis exinde metuendis obuiam ire ſatagerem, nihilominus portio quaedam profundius inſinuata, breui acris facta, doloribus intenſiſſimis una

cum leui inflammatione anſam praebuit, qua aegrotus temperamento ſenſibili admodum praeditus in inquietudines, inſomnia, immo febrem nouam immergebatur. De remedio, quod malo huic inopinato ſuperuenienti obicem poneret, meditatus, aperturam in contraria parte ſcroti efficere decreui, (*Contre-Ouverture*) qua data porta pus in interſtitiis eius moram quaerens, exitum nanciſceretur liberum. Fomentis itaque, cataplaſmatibus et emplaſtris emollientibus maturantibusque per nonnullos dies in uſum vocatis partem maxime prominulam et iam albeſcentem in regione ſcroti inferiori lanceola perforaui, quo facto puris haud parua copia illico effluxit et poſtea per tres continuas ſeptimanas fluere haud deſiit, donec cauitates vulnerum maiorum ſenſim noua implerentur carne fontesque huius deſtillationis taedioſiſſimae obturarentur. Teſticulus, qui in parte media vulneris, exſuccus quamuis et macilentus haeſit, ſenſibilitatem tamen nullatenus amiſerat, et blandiſſime tractari debuit, poſt inflictam plagam vero mox tumeſcere et rubeſcere incepit, usque quo nouo obductus parenchymate ſenſim cum reliquo vulnere coaluit et oblituit. Fila, quibus omentum, uti ſupra dictum, conſtrictum fuerat, tardius, quam ſperaui, deciderant,

rant, ſeptimanis nempe ſex ab operatione transactis, licet quauis deligatione illa vellicare et ſolutionem illorum a partibus adiacentibus promouere minime neglexerim. Rationem phaenomeni huius inſoliti aliam reddere nequeo, quam, quod forte fibrae carneae ex regionibus vicinis annuli enatae in interſtitia nodorum poſt reſolutionem omenti his in locis corrupti peruia facta ſeſe inſinuauerint, non niſi longiori temporis ſpatio et vi quaſi diſrumpendae. Attamen nulla exinde exoriebantur ſymptomata grauiora filaque tandem cum nodis ſuis integra, non ſine laetitia aegroti et mei ipſius, dum vulnus ad conſolidationem iam properaret, decidebant.

Dum curatio mali huius, ſi quod aliud, diſcrimine pleni, praeter ſpem fere ex voto ſuccederet, en! noua pericula, non a natura morbi, vel vitio operantis, ſed intemperantia et voracitate nullis coercenda frenis patientis ipſius ortum ducentia et, quod maxime mireris, per plurimas vices iterum iterumque prouocata, quamuis mors ſemper fores pulſauerit, nihilque neglectum fuerit, quod illum ab erroribus eiusmodi periculoſiſſimis arcere poſſet. Febre elapſis tribus iam ſeptimanis pacata et reliquo aegrotantis ſtatu pro ratione circumſtantiarum exopta-

optatiſſimo facto, precibus a me impetrauit, ut pauca ceraſa matura, quorum tunc copia erat, ipſi indulgerem. Aſt loco decem vel ad ſummum quindecim, quae numero determinato permiſeram, plus quam bis mille unica vice deuorauit. Inſequebantur voracitatem hanc incredibilem fere et nullo modo excuſandam illico ſymptomata grauiſſima, tormina nempe ventris, colica flatulenta, tenſio abdominis maxima, vomitus, febris, obſtructio alui, ſingultus et debilitas ſumma cum ſudoribus frigidis. De periculo inexſpectato et cauſa eius lugubri certior factus aduolaui aegrotumque, quem eodem die mane animo inuiſeram laeto, in agone fere mortis inueni. Suſpicabar non immerito, inteſtina, ſaburra illa copioſa fermentante impleta, praeſertim ob vomitiones frequentes et inquietam iactationem aegri per annulum abdominis nunc enormiter hiantem protruſa et nouam iterum incarcerationem effectam eſſe; ſed apparatu deligationis caute remoto et omnibus rite examinatis, metus hic maximam quoad partem diſparuit, hinc ut reliquis indicationibus, nempe euacuatoriae, anodynae et carminatiuae ſatisfieret, omni incumbendum erat cura. Praeſcriptis itaque eccoproticis lenioribus et clyſmatibus talibus ſaepiuscule iniectis, ventrem aliquoties

ſummo cum leuamine exonerauit. Dolores colici et vomituritiones mixtura ſalina RIVERII et carminatiuis cum pauco opio mixtis ſenſim leniebantur; fomenta anodyna abdomini applicabantur, profligatisque hunc in modum ſymptomatibus maxime urgentibus medicamenta roborantia et tonica agmen clauſerunt reliquamque curationem feliciter abſoluerunt. Ecquis vero crederet patientem hunc ſana ratione minime orbatum, de ſalute ſua alias valde anxium et de ſequelis infauſtiſſimis voracitatis eiusmodi enormis perſuaſiſſimum, poſtea adhuc ter vel quater in idem erratum propria culpa incidiſſe. Tanta vis erat appetitus huius irregularis et fere canini, ut nec monitis meis, vel precibus, immo obiurgationibus conſanguineorum et amicorum morem gereret, ſed quantocyus ſe melius haberet et occaſionem, quam quauis modo quaerebat, adeptus eſſet, mox ingurgitationibus variis indulgeret. Nam nunc halecibus plurimis, nunc piſcibus vel carnibus, quantitate inaudita ſimplici vice comeſtis, in eundem ſemper incidit affectum, iisdem fere remediis a periculo mortis liberandus: et certe valde laetatus ſum, quod tandem ſartum tectumque ex mea cura eum dimittere potuerim. Vulneribus conſolidatis et cicatricibus, ampliſſimis quamuis, attamen firmis obdu-

ductis, usum brachierii cum substratis spleniis suasi, quem per dimidium et quod excedebat annum continuauit. Interea post haec sanitate fruebatur haud interrupta usque ad anni 1773 mensem Aprilis, ubi febre, synocho putrida, ex erroribus in diaeta grauioribus ortum trahente, mortuus est, et cum abessem ex urbe, in statum corporis internum inquirere non potui.

EPICRISIS.

Non abs re fore existimo, si nonnulla momenta grauiora circa casum hunc occurrentia ulterius explanem meamque qualemcunque sententiam limatiori aliorum iudicio submittam.

Herniam hanc, cuius rudimenta ab ipsa demum infantia praesto et non nisi successiue in molem tantam prouectam fuisse ipse patiens fatetur, exinde caussam et originem suam duxisse, nemo non facile mihi concedet, quod testiculus alter in abdomine, et quidem, uti ex situ funiculi spermatici concludere fas est, in regione annuli ipsius latescens, diaphragmatis, contentorum in abdomine eiusque musculorum continua pressione et contracti-

ctione, vi quasi viam sibi parare coactus fuerit. Verisimiliter per notabile temporis spatium in ipso traiectu annuli restitauit, hinc aperturam hanc, quae in statu naturali imperuuia est, sensim dilatauit et partes circumiacentes in omnes sensus comprimendo, si non callosas, attamen eousque debilitatas effecit, ut confecto itinere porta non amplius claudi posset, sed prolapsui peritonaei, omenti et intestini via pararetur opportuna. Nam ex Physiologia notissimum est, contenta abdominalia, praesertim molliora et libere fluitantia, qualia sunt intestina et omentum, utpote continuo pressa, in quemuis locum confestim ruere, dummodo ibi a quacunque caussa minor, quam in caeteris resistentia sit. Quid denique mirum, quod hernia haec, in initio parua et sine dubio curationem admittens, per tot neglecta annos ex continuis et subinde violentissimis exercitiis motionibusque pedetentim tantum ceperit augmentum. Noui et alium Monorchidem, qui bubonocele ab ipsa infantia ex eadem certe caussa laborauit; ast in salutem propriam intentior, post factam repositionem, per plurimos annos brachierium continuo gestauit reliquisque remediis conuenientibus, tam internis, quam externis minime postpositis, nunc ab incommodo hoc prorsus liber plurimorum infantum pater

fa-

factus eſt et caeterum ſaniſſimus viuit. Exemplum Monorchidis, cui anno aetatis decimo octauo teſticulus alter poſt ſaltum grauiorem ex abdomine erupit, recenſet BARTHOLINVS *in actis Hafnienſibus Vol. I. obſ. CVI.*

De ſitu et ſucceſſiua herniae huius ſingulari modo bifurcatae formatione ſequentia adhuc, quantum ex autopſia in operatione ipſa conſtitit, annotare liceat. Annulum abdominis procul dubio a teſticulo in abdomine abſcondito ſenſim dilatatum fuiſſe, iam antea monui; hinc vitium hoc in initio, non niſi bubonocele ſimplex fuit, quae, uti notiſſimum, nihil aliud eſt, quam protuberantia vel omenti, vel inteſtini, vel amborum ſimul per annulum prorumpentium et ſub integumentis communibus inguinis tumorem nunc maiorem nunc minorem formantium. Si malum hoc a quacunque cauſſa negligatur, nec remedia tempeſtiua per repoſitionem, faſcias, ſplenia, emplaſtra, ſubligacula etc. opponantur, contenta haec abdominalia ſucceſſu temporis, debilatato et dilatato ſenſim peritonaeo illa ambiente, ex pondere proprio et variis exercitiis corporis compreſſionem illorum producentibus, ſuperato quoque leui a tunica celluloſa obſtaculo, pro-

 fun-

fundius indies dilabuntur tandemque in ſcrotum usque protruſa herniam ſic dictam ſcrotalem efficiunt, quae nonnunquam in immenſam increſcere ſolet magnitudinem, ita, ut interdum maximam partem omenti et inteſtinorum omnium includere videatur, qualem deſcribit BARTHOL. *l. c. Vol. V. obſ. LIX.* Omnes vero herniae ſcrotales, quas unquam vidi, vel ab obſeruatoribus commemoratas legi, ſimplices fuerunt, nec de bifurcatione eiusmodi extraordinaria, vti in caſu hoc contigit, aliquid huc usque comperire potui. Rationem phaenomeni huius ſingularis vix aliam credo, quam abſentiam funiculi ſpermatici et proceſſus peritonaei extra abdomen, qui ob laxam conformationem telae celluloſae et minorem, quam alibi, reſiſtentiam receptioni partium harum extranearum fauent, quae ordinarie aliam viam petere vix queunt, quoniam lamina externa peritonaei, proceſſum ſic dictum formans et conuolutionem hanc vaſorum obuoluens aberrationem talem minime patitur. Hic vero, funiculo ſpermatico una cum proceſſu illo deficiente, contenta abdominalia ſub cute externa per tunicam celluloſam in varios ſenſus diſpergi, magis tamen verſus illa loca determinari debuerunt, ubi minor, quam in reliquis, reſiſtentia occurrit. Haec vero facilitas in

re-

regiones tantum laterales annuli quadrat, nempe ad tractum funiculi ſpermatici et verſus os ſacrum; nam in margine ſuperiori et inferiori annuli cutis ipſa tendinoſis vel ligamentoſis quaſi proceſſibus ei adnectitur celluloſitasque ſubiacens compacta omnino inuenitur, quod illos, qui in diſſectionibus anatomicis, qua par eſt, attentione, verſati ſunt, latere non poteſt. Septum quoque illud ligamentoſum validiſſimum, quod hic utrumque ſaccum diſtinxit, et in operatione diſcindebatur, euidentiſſime non niſi a commiſſura cutis inter femur et os pubis in inguine prouenit et plexui illi ligamentoſo, qui in margine inferiori annuli obſeruatur, firmiſſime inſerebatur. Hinc ergo factum, vt contenta abdominalia continuo preſſa, non tantum verſus ſcrotum, ſed etiam partem anteriorem cruris ſub celluloſitate ſenſim protruſa fuerint, ſepto nempe hoc receptaculum antea commune in duos findente ſaccos diſtinctos: uterque autem horum non eiusdem figurae vel amplitudinis erat, nec eadem praeciſe, uti ex hiſtoria morbi apparet, includebat contenta abdominalia. Scrotalis namque oblongus magis et verſus fundum vaſtior ſpithamam cum dimidia longitudine aequabat, craſſities quoque eiusdem fere in peripheria menſurae ſupputari potuit. Cruralis vero in ipſa

flexura inguinis et subiacente parte superiori anteriori situs, figuram describens haemisphericam, magnitudine caput humanum superauit fere; mollior vero tactu sentiebatur, altero nempe sacco duro et valde tenso existente; murmura quoque obscura in herniis vulgaria, dum manibus tractantur, in hoc sacco manifestiora fuerunt, quam in illo. Penis, quanquam alias haud ruditer a natura donatus fuerit, nunc ita retractus et a mole herniosa absconditus apparuit, ut solummodo extremitas eius parum promineret.

Quod Kelotomia siue operatio ipsa in hoc casu sit indicata, immo unicum vitae et sanitatis recuperandae praesidium fuerit, neminem facile repugnantem habebo, inprimis si symptomata grauissima et admonitiones optimorum in arte nostra magistrorum de maximo ex procrastinatione periculo, uti decet, ponderentur. Aderant namque omnia signa incarcerationis siue strangulationis intestini et omenti, nempe repositionis impossibilitas, dolor acutissimus in tumore hernioso, in ventre colicus, irritus deiiciendi conatus, vomituritio, vomitus chylosi primum, dein stercorales, regionis herniosae inflammatio etc. febris tandem, insomnia, singultus et pulsus debilis cum sudoribus frigidis summum mon-

monſtrabant diſcrimen, in quo aegrotus verſabatur, niſi ei tempeſtiue ſectione ſuccurreretur. Proſtant quidem obſeruationes a magnis viris omnino communicatae, de quorum fide dubitare religioni duco, quae inculcare videntur, hernias incarceratas conclamatas quamuis, variis tamen remediis adhibitis, iterum reſerari et aegrotos priſtinae ſanitati reſtitui poſſe, quales ſuppeditant FORESTVS *obſ. mid. libr. XX. obſ. XLIV. et libr. XXI. obſ. XX. XXVII. XXVIII. XXIX.* et TVLPIVS *libr. III. c. XII. et XIII.* (ubi aegrotum, qui tredecim dies ſtercus euomuit, nihilominus facta repoſitione conualuiſſe obſeruat.) Aſt, pace eorum, has inter rariſſimas et ſingulares admodum reputo, ex quibus concluſio non valet; nec vitam hominis ob exempla rara periclitandam exiſtimo, praeprimis quia indubie conſtat, operationem hanc, dolorificam quamuis, nec diſcrimine carentem, periculo tamen certo non ita obnoxiam eſſe, dummodo ea, qua par eſt, circumſpectione inſtituatur, vel malum iam eousque non proceſſerit, ut medelae prorſus expers factum ſit.

Quas in operatione adhibui encheireſes et reliquas cautelas in hiſtoria data inculcatas, eas ad normam artis et praeſcriptionem optimorum in illa

magiſtrorum, me intento animo direxiſſe et officio meo ſaltem quomodocunque ſatisfeciſſe ſperauerim, hinc de vulgaribus illis et communi ſuffragio receptis multa verba facere ſuperuacaneum foret. Aſt quia variae a variis methodi et diſſenſus, etiam quoad circumſtantias principaliores occurrunt, mearum utique partium eſſe crediderim, rationes reddere, cur ſic, nec aliter proceſſerim. Ad haemorrhagias, quae inciſiones maiores inſequi et operationes haud parum retardare ſolent, quin nonnunquam periculoſae fiunt, inprimis ſi arteriae maiusculae diſſecantur, compeſcendas, plura a rei chirurgicae ſcriptoribus remedia commendantur. Nam alii compreſſionem cum linteo carpto, alii ſtyptica varia, fungum quercinum, ſpongiam praeparatam, immo ſuturas arteriarum, ſi capaciores ſint et cum impetu multum ſanguinem fundant, extollunt. Sunt, qui ſolam impoſitionem apicum digitorum, quantum ſufficit, continuatam indicationi ſatisfacere aſſeuerent. De certo futura, poſt inciſiones tam magnas et profundas, in corpore robuſtiſſimo et plethorico, haemorrhagia largiori minime dubitans omnia parata habui, ut ſi unum deficeret, alterum illico praeſto eſſet. Nec euentus metum fefellit conceptum. Nam diſſectis integumentis, ex celluloſitate multa, craſſiſſimis,

ſimis, praeprimis in inguine, ubi inciſio ſupra annulum nonnihil extendi debuit, quatuor ſtatim in conſpectum venerunt aperturae arteriarum, quarum maxima, calami fere ſtraminei craſſitie cum iactu vehementiſſimo cruorem vibrauit altiſſime, ita vt de breui ſiſtendo fluxu hoc periculoſiſſimo ſerio cogitandum eſſet. Orificium eius profunde admodum in celluloſitate ipſius inguinis inter labia vulneris duos transuerſos digitos alta, ſitum et in adipem prorumpentem mox retractum nulla prorſus comprehendi, comprimi, nec acu attingi potuit arte. Vnicum itaque ſupererat auxilium, applicatio nempe ſtyptici efficaciſſimi. Ad manus ergo, quam habebam, ſolutionem vitrioli de cypro arripio, globulos ex linteo carpto varia magnitudine contortos celerrime illa imbibo et minimo ſupra oſtiolum applicato, mox alium et alium maiorem impono digitisque per paruum temporis ſpatium comprimendo, effluuium ſiſto. Reliquis quoque arteriis minoribus et magis in ſuperficie vulneris ſitis, eadem cum linteo carpto mollius conuoluto ſolutione adhibita, ab adiutoribus fuit proſpectum. Nullum exinde, praeter moram aliqualem et colorem pinguedinis nonnihil alteratum, enatum incommodum, nec applicatio dolorifica fuit. Ex diſſectione integumentorum rami

mi cruralis, quae poſtea inſequebatur haemorrhagia, utpote multo leuior, eodem modo et quidem citius compeſcebatur.

Quod portionem omenti in ſaccis herniofis contentam, totam, quamuis ſanam adhuc, reſecare non dubitauerim, multae et quidem ſat praegnantes me impulerunt rationes. Subiit illico animum, maſſam hanc enormem, quae in hoſpitiis hiſce tantam acquiſiuit molem, ſi in cauitatem abdominis retruderetur, uti corpus extraneum, commodum vix ſibi inuenire locum; nec ſine ſequelis grauiſſimis reliqua viſcera comprimere poſſe; ut taceam, repoſitionem eius, ſi non impoſſibilem plane, noxiam vero ob dilacerationes viſceris huius tenerrimi, nullo negotio, etiam ſi quam blandiſſime tractaretur, praeuertendas, futuram. Diſruptae namque hinc illic membranulae et vaſa adepsque exſudans multa et quidem grauiſſima pericula et tandem mortem poſt ſe neceſſario traxiſſent. E contra ipſa ligatura maximam praeſtare debuit utilitatem, hac potiſſimum ex cauſſa, quod extremitas omenti reſecta, in annulo reſtitans, reiectis portionibus ſub ligatura in corruptionem abeuntibus, cum partibus vicinis breui adnaſcens obturamentum praeberet exopta-

optatiſſimum, quo relapſus contentorum abdominalium, per annulum tam inſigniter hiantem, alias vix praecauendus, auerti poſſet. Opinionem meam non male fundatam fuiſſe, euentus poſtea docuit. Nam licet grauiſſima poſtea ex nimia patientis, ut iam ſupra retuli, voracitate, inſequuta fuerint ſymptomata, ex quorum numero vomituritiones, et inquietae aegroti iactationes periculoſiſſimae certe fuerunt, nullus tamen exinde euenit exitus ſiniſter, nihilque, violentiſſimis quamuis, hiſce abdominis compreſſionibus amplius ex ventre protruſum fuit. Non ſum quidem ignarus, celebres omnino Chirurgos ligaturam omenti abhorrere magnaque exinde pertimeſcere diſcrimina, hinc potius ſuadere, ut portio omenti prominens, ſi in cauum abdominale refundi nequeat, vel in vulnere relinquatur, donec poſt inſequutam corruptionem ſponte decidat, quale conſilium ſuppeditat LE DRAN, *operat. de Chirurg. p. m. 131.* vel nulla adhibita ligatura, in regione annuli ſimplici ſectione abſcindatur, quae ſententia eſt CELEB. SHARPII *traité des oper. p. 108. 109. eiusdem recherch. critiques p. 45. ſeqq.* et PIPELET, *memoire de l' academ. royal de Chirurg. T. III. p. 394. ſeqq.* Aſt opinioni eorum, quamuis in reliquis maxime ſuſpiciam, ſubſcribere anceps haereo; ſaltem in hoc

 caſu,

casu, dum tanta portio omenti, magnis omnino vasis sanguiferis pertexti, resecanda fuit, sequelae perniciosissimae, utpote haemorrhagia largior, quae etiam post ligaturam arctam hic non defuit, inflammatio et sphacelus visceris huius tenerrimi, saniei in cauitatem abdominis extrauasatio, hinc certa mors, pertimescenda erant.

Ex historia supra data patet, me in tota hac operatione, si quae alia magna et periculosa, praeter scalpellum vulgare rectum, nullum aliud adhibuisse instrumentum, quamuis annulus abdominis ex utroque latere, intestinis et omento maxime turgentibus et in quamuis locum sese insinuantibus, incidendus et consequenter maximum ob viscera praedicta facile laedenda, periculum adesset. Volui certe, quod ingenue fateor, tum scalpellum reconditum, (bistouri caché) tum quoque specillum alatum in usum vocare, sed profunditas vulneris in subiecto hoc obesissimo, quae, dum unum vel alterum instrumentorum horum applicare volui, omnem abstulit cognitionem certam, quousque penetrauerim et numne partes vulnerarem, quae incidendae minime erant, metum haud iniustum incussit et ab usu eorum, absterruit. Malui methodum sectari simplicissimam

et

et tutiſſimam, quae in eo conſiſtit, ut ſcalpello anguſtiori lamina praedito, in manubrio bene firmato et immobili reddito, ſub indice manus dextrae ita recondito, ut apex eius in extremitate digiti delitesceret, remotis, quantum licuit, omento et inteſtinis protuberantibus, digitum in annulum quam blandiſſime intruderem; tunc, explorato per tactum loco ſtrangulationis, aciem ſcalpelli, ubi prima obuenit reſiſtentia, caute impegi et ſic ulterius pergendo dilatationem, quantum ſufficere putaui, peregi. Encheireſin hanc ſimplicem ſat depraedicare non poſſum, optaremque ex animo, ut operationes grauiores omnes ſine magno apparatu inſtrumentorum, quae aegrotis et adſtantibus non niſi terrorem augent et operanti ſaepius confuſionem pariunt, inſtitui poſſent. Iam dudum de ſuperfluis et noxiis ex Chirurgia eliminandis a magnis viris cogitatum fuit meoque iudicio tam ſcalpellum reconditum, quam ſpecillum alatum, ſaltem ex hac operatione, exulare deberet. Certe ars inueniendi et reformandi nullibi tam ferax fuiſſe videtur, quam circa inſtrumenta dilatationi annuli et vulnerum abdominalium inſeruientia. Dionis illam ſupra ſpecillum ſulcatum cum ſcalpello incuruo in extremitate globoſo perfici debere affirmat, *Cours des operat. p. m. 87.* GARENGEOT

GEOT ſpecillum ſuum alatum extollit: *Tr. des inſtrumens T. I. p. 225.* MORAND, cultrum ſic dictum gaſtroraphicum et PETIT cultellum acie limatum in eundem uſum excogitarunt. *vid. not. de la Faye in Dionis p. 88.* LE DRAN ſcalpellum ſuum reconditum maximis encomiis collaudat: *Tr. des operat. p. 126.* quod ipſum inſtrumentum a SENFFIO emendatum fuiſſe, tradit et delineat PLATNERVS *in Chirurgia ſua fig. XVII.* alii ſcalpellum ſic dictum regium in hunc uſum traxeruut, et ne quid deficeret, ipſe quoque HEISTERVS ſuum excogitauit et deſcripſit inſtrumentum proprium *in Chirurgia ſua T. V. f. 3.* Ipſa vero multitudo haec inſtrumentorum, quid aliud euincit quam defectum et inſufficientiam eorum, quam alius poſt alium emendare conatus fuit? nam alias vix perſpicio, cur in uno, ſi omne tuliſſet punctum, reliqui non acquieſcerent, nec pruritum ſolum inueniendi hic unice culpandum eſſe exiſtimauerim.

Vereor, ne quis mihi vitio vertat, quod annulum abdominis a mole tanta omenti et inteſtini iam maxime diſtentum, ex utroque tamen latere inciſionibus, et quidem ſat amplis, dilatauerim, credatque, me cautelas, quas autores varii pro facili-

tan-

tanda, ſine inciſione annuli, repoſitione inculcant, vel ignoraſſe, vel ea, qua par eſt, dexteritate hoc efficere non potuiſſe. Sed bona fide, teſtimonio amiciſſimorum me adiuuantium fretus, aſſeuerare poſſum, me, antequam ad ſectiones illas dolorificas et periculo plenas me accingerem, omnem mouiſſe lapidem omnesque tentaſſe encheireſes, quas ſana ratio et conſilia magnorum virorum in mentem ingerere potuerint, antequam ad ſcalpellum, tanquam ſacram anchoram, confugerem. Volui quidem portionem inteſtini anum reſpicientem ex abdomine blande educere, incluſaque, quae expanſionem illam effecerunt, diſſipare, ſed immobilem omnino et renitentem ſe praebuit, nec viſcus ob ſubtilitatem membranarum violentius tractari potuit. Immo prima inciſione verſus lineam albam, quantum ob metum laeſionis arteriae epigaſtricae licuit, ſat ampla peracta, nec dum res ex voto ſucceſſit, hinc etiam alteram ex oppoſito latere inſtituere coactus fui.

Vt, quae de hernia hac ſingulari diſſeruimus, eo luculentius intelligantur, ſequentes figuras ad naturam exactiſſime, quantum potuit, delineatas, apponendas curauimus.

Fig. I.

Herniam, qualis ante ſectionem, quoad ſitum, magnitudinem, et peculiarem bifurcationem conſpiciebatur, exhibet.

A. Inguen lateris dextri, a contentis abdominalibus in hernia incluſis, valde eleuatum.

B. Inguen lateris ſiniſtri.

C.C. Crura nonnihil diuaricata.

D. Ramus herniae ſcrotalis.

E. Ramus femoralis, in tumorem magnum haemisphaericum eleuatus.

F. Penis valde retractus.

G. Raphe, portionem ſcroti ab hernia intumefactam, ab altera ſana diuidens.

H.H.

H.H. Termini primae incifionis rami fcrotalis.

I.I. Locus fectionis tranfuerfalis in ramo femorali.

K. Bifurcatio fingularis, utrumque ramum herniofum diftinguens.

Fig. II.

Delineat herniam iam utrobique fectam, fitumque partium in illa contentarum.

A. Annulus abdominis enormiter dilatatus.

B.B.B.B. Cutis externa cum cellulofitate, multa pinguedine referta, incifa et ad latus reflexa.

C.C.C.C. Membranae tam fpuriae, quam ex peritonaeo formatae, faccum herniofum conftituentes, a cellulofitate feparatae, incifae et reflexae.

D.D. portiones omenti tenues inteftinum in facco fcro-

ſcrotali contentum, maximam quoad partem, obuoluentes.

E. Conuolutio maxima omenti in ſacco femorali.

F. portio inteſtini ilei in ſacco ſcrotali maior.

G. Altera eiusdem inteſtini portio in ramo femorali minor.

H. Teſticulus alter, macilentus et exſuccus quaſi.

I. Corpus pampiniforme cum reliquis partibus funiculi ſpermatici, ſacco hernioſo accretis.

K. Ligamentum ſubcutaneum, tendinoſum quaſi, utrumque diſtinguens ſaccum, et margini annuli inferiori inſertum.



F. I.

H.
A.
I.
E.
I.
F.
F.
G.
D.
K.
H.
C.
C.

F. II.

G.
I.
H.
C.
B.
A.
D.
E.
F.
C.
B.
C.
B.
K.
C.
B.
D.